

19  
Disputatio XVI.  
DE COENA DOMINI.

*EX DECIMO ARTICULO  
Augustanae Confessionis.*

*Ad cuius Theses,*

ASPIRANTE DIVINA GRATIA,  
PRAESIDE EGIDIO HVNNIO, S. Theologiae  
Doctore & Professore in Academia Vuitebergensi,  
respondebit in Templo Arci contiguo,  
die 25. Ianuarij, horis pome-  
ridianis,

IOHANNES VVOLPHIVS REYS-  
ernas, Illustrium Procerum superioris  
Austriae Alumnus.



VV I T E B E R G A E

Excudebat Vidua Matthæi


VVelaci,

ANNO M. D. XCV.

# DE COENA DOMINI.

## DISPUTATIO XVII.

I.

 Rticulus de Cæna Domini in prima incorrupta Confessione Augustana sic habet: De Cæna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuuntur vescentibus in cæna Domini. Et improbant secus docentes.

2. In mutata Confessione omissum est ab autore mutationis in gratiam adversariorum, verbum, Adsint. Quod cœdigo notabat veram & substantialem corporis & sanguinis Christi presentiam.

3. Omissa etiam est antithesis: & improbant secus docentes. Quam Zwinglij sectatoribus & doctrina Sacramentaria oppositam fuisse Acta publica testantur.

4. Cum verò & Elector Saxonia mutationem illam sibi displicere, per Cancellarium suum D. Pontanum Philippo ostenderet, & Lutherus eam improbareret, & passim sinceri Theologi reclamarent quin & Pontificij eam suggillarent: factum est, ut Philippus Anno 41. ea quæ expunxerat, solenni scripto in integrum restitueret.

5. Ita, ut omissum verbum adsint, his verbis restitueretur: fatemur, in cæna verè & realiter corpus & sanguinem Christi ADESSE, & cum pane & vino exhiberi sumentibus.

6. Antithesis verò reddita est Confessioni hisce verbis:

7. Testati sumus (scilicet in Confessione Augustana) nos IMPROBARE eos, qui negant adesse & verè sumi corpus Christi.

8. Nec verò opus fuisse ulla eius mutatione, nec rem amplius integram fuisse, propter Electoris, qui unâ cum socijs eam Cæs. Maestati exhibuit obitum: nec potuisse mutationem suscipi citra consensum eorum omnium, quos negotium

Tom. 4-  
Phil. Mel.  
fol. 736.

gotium illud attingebat: Nec unquam abrogatam fuisse Confessionem primaviam sed à principibus nunquam non fideliter assertam, quoniam & in conventu Naumburgensi primam editionem (& non exemplar mutilatum) à principibus fuisse subscriptam & in Francofurtensi recessu denuò luculentissime confirmatam, alibi perspicuè demonstravimus.

9. Ostendimus è converso, exemplar mutatum, nunquam alio sensu à principibus acceptum fuisse, quàm invariatum; nec propositum in Colloquijs contra Calvinianos, sed tantum contra Pontificios, propter uberiores articuli de Iustificatione declarationem.

10. Quemadmodum etiam constat, mutatam Confessionem non Augustæ Anno 30. scriptam aut exhibitam, sed anno demum 40. Vitebergæ natam; unde ratione decimi Articuli pro Augustana Confessione non nisi falso titulo venditur. Sed his tanquam ante hæc satis explicatis immorari nolumus.

11. Porro, quod articulum ipsum attinet de Cæna Domini: duo potissimum sunt capita hic observanda. Quorum prius substantiam Sacramenti huius describit; posterius de eiusdem saluari fructu & usu agit.

12. Ad substantiam pertinet non tantum panis & vinum sed principaliter corpus & sanguis Christi.

13. Accepto enim pane dixit Dominus Iesus: accipite, edite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo: Bibite: hic est sanguis meus Novi Testamenti.

14. Palàm est Dominum præbuisse discipulis panem & vinum. Ne verò putarent, meram exhiberi panem ac nudum vinum propinari in hoc sacro convivio: disertâ voce difinit, quidnam sit, cuius non viciâ & manducationem ordinare velit, edite, hoc (quod vos iubeo edere) Est corpus meum. Bibite ex hoc omnes: hoc enim (quod vos iubeo ex poculo hoc bibere) EST sanguis meus novi Testamenti.

15. Hæc sole clarior descriptio convincebat animos Apostolorum,

duo in hoc articulo observanda

2

Substantia Sacrae Cœna

A 2

lorum,

lorum, ut indubitato statuerent, unam cum pane & vino corpus  
& sanguinem Christi verè sumi, manducari & bibi.

Embdenium glossa

16. Neque valet Embdenium Calvinistarum glossa nova,  
qua verbo edendi & bibendi in institutione Salvatoris gemi-  
num significatum assuunt; proprium respectu panis & vini;  
tropicum verò seu metaphoricum respectu corporis & sanguinis  
Christi.

17. Hoc posterius ex verbis Institutionis nullo apice demon-  
strare possunt. Imò sonus ipse verborum glossam illam evertit,  
praesertim cum in descriptione secunda pariscæna dicatur; bi-  
bite ex hoc (poculo) omnes. Et Marcus affirmet, bibisse illos ex  
eo (poculo) omnes.

18. Absurdissimum autem fuerit asseverare, discipulos ~~verò~~  
~~φωκινῶσιν~~ bibisse ex poculo, siquidem ex poculo bibitur ore, significa-  
tione propria, quæ bibitionem, ut ita dicam, oralem designat.

19. Cumque testetur historia apud Marcum, Apostolos simul  
omnes (nullo excepto) bibisse ex poculo: & verò descriptio Lucae  
Evangelistæ declaret, Iudam celebrationi cænae interfuisse; se-  
queretur & Iudam metaphorica bibitione, id est, perfruitione  
fidei redditum esse sanguinis Christi participem.

20. Hec cum prorsus absona sint, stat immotum, edendi biben-  
diq; verba de sumptione, quæ ore fiebat Apostolorum, & adhuc  
in nostra cæna fit, esse accipienda.

21. Porro quod attinet τὸ δεικνῶν, τὸ δὲ, in propositione;  
hoc est corpus meum, hic est sanguis meus Novi Testamenti;  
circumstantiæ declarant, oculis discipulorum monstrari panem  
& vinum, verbum autem Christi commonstrat & denunciât  
menti illorum, quòd simul adsint & exhibeantur corpus &  
sanguis Christi,

22. Et hec quidem (corpus & sanguis) sunt bona illa, quæ  
Christus sumenda ordinat: illa verò (nempe panis & vinum)  
sunt istius exhibitionis duntaxat symbola sive media, C V M

QUIBVS caelestia dona sua nobis Salvator offert & confert.

23. Hinc autem indubitato concluditur, corpus & sanguinem Domini ab his Sacramentalibus symbolis nequaquam procul abesse, ut Calvinista scriptitant, sed adesse & unâ cum ijs sacramentaliter unita, sumi, unâ eademq; manducatione & bibitione, quae ore peragitur.

24. Ita quidem, ut terrena symbola modo terreno: caelestia verò dona (corpus & sanguis Christi) caelesti percipiantur modo, iuxta rationem supernaturalis atq; mysticae coniunctionis symbolorum cum rebus exhibendis. Quae cum non sit unio Physica sed Sacramentalis atq; mystica: ideo neq; manducatio ab hac unitione dependens naturalis est, sed fit in mysterio, & iuxta modum unionis mysticae seu sacramentalis aestimanda est.

manducatio qualis fit

25. Eludere hac conantur Zwinglius, Calvinus, & horum sectatores, qui in solenni formula Testamenti verbum ~~utroque~~ (est) in metonymicam significationem transformant

26. Audent hoc isti, quod nullus Evangelistarum, ut nec Apostolus Paulus est ausus, qui cum variatis verbis (sensu autem invariato permanente) historiam Institutionis referant: nullus tamen eorum istius significationis vel uno saltem apice meminisse legitur.

27. Reclamat insuper huic Sacramentariae glossae textus secunda partis; hic est sanguis meus Novi Testamenti.

28. Mutuatus est Christus hanc loquendi formulam ex dispositione veteris Testamenti Exodi 24. descripta; ubi Moses sanciens fœdus inter Deum & Israëlitas, & sanguine vitulorum aspergens librum legis & populum, dixit: Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit vobis Deus Heb. 9.

Sanguis Vet. T.

29. Retinet hac verba Christus in dispositione Sacramenti Novi Testamenti; discriminis duntaxat causa duas hasce voculas (Meus, & Novi) adiciens, hunc in modum; Hic est MEVS sanguis NOVI Testamenti.

A 3

Sicut

30. Sicut verò in formula illa veteris pacti: Hic est sanguis Testamenti, non erat locus metonymiae Calumnisticae (siquidem id, quod aspergebat Moses, non significabat sanguinem veteris Testamenti, sed verè & ratione substantiae erat sanguis verus nempe vitulorum sanguis (licet is ad Christi sanguinem relatus typi rationem obtinet) quanto minus licebit illam Sacramentorum glossam affricare verbo, Est, in formula Testamenti Novi

31. Praesertim cum in hoc vertatur precipuum discrimen Sacramentorum veteris & Novi Testamenti, quòd illa quidem servierunt exemplari & umbrae Heb. 8. Sicut scriptum est Heb. 10. Lex (Levitica) (τοιῶν umbram) (seu umbratilem delineationem) obtinuit futurorum bonorum (nempe Christi secundum carnem) non ipsam imaginem rerum.

32. Sacramenta verò Novi Testamenti non τοιῶν, non exemplar, non figuram, non typum, non significationem, non praefigurationem, sed ipsam rerum olim adumbratarum, hoc est, Christi secundum carnem, expressam habent absolutam ἁπλῆς εἰκόνας imaginem & substantiam.

Collatio. C. in. Iesu  
to dati cum pane  
Cene

33. Conferantur inter se panis olim datus Israëlitis in deserto, & panis Cæne Dominice.

34. Panis è nubibus datus, erat Christi secundum carnem non νοιωνία (quia caro Christi ratione substantiae nondum erat) sed typus, figura & significatio: quippe ad veteris Testamenti sacra pertinet; quemadmodum hunc typum & significationem Salvator ipse nobis explicat, Ioan. 6.

35. Vicissim panis cæne Dominice, quoniam ad Testamenti novi Sacramentum pertinet, est Christi secundum Carnem non typus nec figura, vel significatio sed eiusdem μετοχήν ἡμεῶν νοιωνία, dicente Paulo: panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? 1. Cor. 10.

hoc culum Agni paschalis  
q. tres n. Aplos iurat  
d. d. d.

36. Eadem collatione poculum Agni paschalis, quod Christus precipiebat dividi inter Apostolos, Luc. 22. non erat sanguis Dominus



Domini, sed significabat Christi sanguinem: serviebat enim ex-  
emplari & umbra, significationi & figura, tanquam poculum  
non Novi Testamenti, sed veteris.

37. De poculo autem Cœnae dominica pronunciat Chri-  
stus; hoc poculum Novum Testamentum est in meo sanguine:  
id quod de poculo agni paschalis in æternam affirmari nequit.

38. Nec unquam hoc augustum elogium adscribi posset  
Eucharistiae poculo, si significaret Christi sanguinem. Ita namq[ue]  
non Novi, sed Veteris Testamenti (in quo significationes illa re-  
gnabant) poculum existeret.

39. Christus autem perspicuè docet, ideò portionem illam  
Eucharisticam nominari Novum Testamentum, quia sit san-  
guinis Christi (tanquam substantia Novi Testamenti), realis  
κοινωνία.

40. Ideò namq[ue] ait: Hoc poculum Novum Testamentum  
est, IN MEO SANGVINE. Vbi locum non habet adversa-  
riorum interpretatio, qua dicunt, hanc appendicem (in  
meo sanguine) hoc tantum docere, quòd Novum Testamentum  
atq[ue] fœdus sanciatur Christi sanguine.

41. Quanquam enim suo loco non negatur, fœdus novum  
Christi sanguine sanciri: tamen presenti locutioni Salvatoris  
istam interpretationem aptari non posse, docet omisio articuli  
ἡ, que post voculam, διαθήκη, necessario ponenda erat, si reddere  
deberet sensum ab adversa parte iactatum.

42. Ita namq[ue] demùm hic sensus emergeret: hoc poculum  
est καὶ τὸ διαθήκη Novum testamentum, quod (ἡ) in meo sanguine  
(supple) sancitur.

43. Iam verò deest supplementum hoc & oratio ex ad-  
versariorum sensu plane est eclipctica: & præterea pendent  
hæc verba (in meo sanguine) immediatè à precedentibus, hoc  
indistracto sensu: hoc poculum est novum Testamentum, in, vel  
propter meum sanguinem.

44. At verò non propter significationem sanguinis Chri-  
sti: ita namq[ue] non Novi sed Veteris testamenti esset poculum, &  
ἀσacris

poculum Cœnae

Cur nominatq[ue] Eucharis-  
tica illa portio ἡ οὖνον  
ἔστιν

à sacris veteris Testamenti, praesertim ab agni paschalis poculo differret nihil: Ergò propter realem exhibitionem, & ut Paulus loquitur, μετοχήν & participationem sanguinis Christi, mediante isto poculo.

45. Si enim querat aliquis ex descriptione apud Lucam & Paulum: cur poculum cæna est Novum testamentum in Christi sanguine? Respondent Matthæus & Marcus: quia hoc, quod Christus bibi iubet ex hoc poculo, EST sanguis Novi Testamenti.

46. Respondet & Paulus; quia poculum hoc, seu potus Eucharisticus, est κοινωνία, exhibitio, communicatio, & participatio sanguinis Christi. 1. Cor. 10.

47. Quæ etiam est causa, quod Lucas testatur, ipsum hoc poculum, ipsam hanc potionem, quæ in poculo bibitur, effusam esse pro nobis in remissionem peccatorum: τὸ τοῦ ποτηρίου ἢ καὶ τοῦ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυσόμενον.

48. Quod si potus iste constaret solo vino, in æternum de eo predicari non posset, quod pro nobis effundatur. At quia potio ipsa illa pro nobis effusa dicitur, ex irrefragabili necessitate sequitur, hunc potum esse ipsummet sanguinem Domini, ut qui solus pro nobis in remissionem peccatorum effusus est.

49. Hæc sufficiat hac vice proposuisse. Dabitur opera, ut reliqua sententia nostra fundamenta producantur sequentis Disputationis Thesisibus.

F I N I S.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





# Disputatio XVI. DE COENA DOMINI.

*EX DECIMO ARTICULO  
Augustanae Confessionis.*

*Ad cuius Theses,*  
ASPIRANTE DIVINA GRATIA,  
PRAESIDE EGIDIO HVNNIO, S. Theologiae  
Doctore & Professore in Academia Vuitebergensi,  
respondebit in Templo Arci contiguo,  
die 25. Ianuarij, horis pome-  
ridianis,

IOHANNES VVOLPHIVS REYS-  
sernas, Illustrium Procerum superioris  
Austriae Alumnus.



VVITEBERGAE

## Excudebat Vidua Matthæi

VVelaci,

ANNO M. D. XCV.

